



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Consolatio Desperantium, Seu Conciones De Magna Dei  
erga Peccatores serio poenitentes, comitate**

**Bosquier, Philippe**

**Coloniae, 1617**

I. Ocvlis Vis Et Mira energia inest.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56142](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56142)

## I.

OCVLIS VIS ET MIRA  
energia inest.

**A**Mici Auditores, Monuit Paulus Apostolus, quod Inuisibilia Dei per ea, quae facta sunt, in illa conspicuntur; sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, id est, quod pons proprius, scapha commoda ad transitum; schala maximè idonea ad ascendendum à terrenis ad cœlestia, si hæc ipsa, quæ in manibus nostris sunt, & ante pedes versantur, perfecte intelligere, & ab his ad diuina, & sublimia illa ascendere. Sic Gregorius Hom. II. in Euang. ait, *Cœlorum regnum, fratres charissimi, idcirco terrenis rebus simile dicitur, ut ex his, quæ animus nouit, surgat ad incognita, quæ non nouit: quatenus exemplo visibilium se ad inuisibilia rapiat; & per ea, quæ usu didicit, quasi conficitur intellegat: ut per hoc quod scit notum diligere, discat & incognita amare.*

Si itaque scire desideremus, cuius efficaciam si diuinus ille oculus & intuitus, de quo dicitur, *Vidit illum Pater ipseus*, videndum erit, quas vires habeant tot pulchri oculi, felices aspectus, quibus nos cœlum quotidie intuetur; Sol, inquam, Luna & stellæ, vera Cœi scintillantia & flammantia lumina: Quæ hominum, brutorumque in fronte gemini illi oculi valeant inquirendum nobis est, ut ex horum virtutibus diuinorum oculorum efficaciam intelligatur.

Imprimis itaque arbitrari oportet, Deum cœlos hisce planetis, & sideribus non tantum vani ornatus causa distinxisse; sed potius admirandorum effectuum producendorum causa cœlis affixisse, ut in totius Vniuersi utilitate magnifici illius Palatii ornatus redderetur: Producta autem sunt hæc lumina ad

1. Illuminandum,
2. Calefaciendum,
3. Generandum,
4. Hanc vel illam complexionem influendum.

1. *Ad illuminandum*, & luminis sui fauore omnium pulchritudinem prodendum: Sol iste, chari Auditores, pulcher ille Sol est, qui suo ortu rebus omnibus colorem pristinum reddit, & quæ, quales quantæ sint manifestat: Frustra Deus aures tam diuersis, variantibus, & videntibus coloribus depinxisset, mundum hunc tanta rerum diuersitate exornasset, nisi simul & lumen hoc, quo omnia illa conspiciuntur, produxisset.

2. *Ad calefaciendum* corpora, agros, plantas, & semina nostra. An non vulgò Sol *ignis pauperum* dicitur? Neque aliud voluit Diogenes Philosophus paupertati & veritati amicissimus, dignus qui Christum aut S. Franciscum Magistrum habuisset, qui aliquando in Sole apicans ab Alexando Magno quiduis petere iussus, nihil aliud se rogare respondit, quam, Ne umbram mihi vltterius facias, & communi igne, Solis scilicet beneficio, me priues.

*Laert. l. 6.  
de Vita  
Philos. in  
Diogen.*

3. *Ad generandum*. Bone Deus, quam inutilis præ siccitate & frigore suo nobis terra esset, nisi ab hoc calido lumine & viuificante igne iuaretur? Imò etiam aquam suo humore terram penetrantem, sine hoc semine vitæ, nihil nisi mera confusio & mortis imago consequeretur: necesse enim est, vt hic calor viuificans, terræ quasi incubans, eamq; accommodans, & duo hæc generationis principia copulans, eam fecundam faciat, omniaque vtilia producat. Requirit generatio calidum & humidum, & à duobus illis cæli oculis, Sole inquam & luna, adiuuatur: hæc enim refrigerat & humectat; ille suo calore calefacit & exsiccatur: Ab hoc benigno cæli intuitu nobis omnia procedunt, fertilitas terræ, plantæ, arbores, frumenta, animalia. Et quid? Non defuerunt sanè Philosophi, vt Anaximander & Empedocles, qui tantum Solis aspectui tribuerunt, vt eum primum hominum parentem fecerint: Volebant enim Solem suo calore nescio, quam materiam limosam coagulasse, indurasse, & quadam pellicula vestiuisse: hac autem ad perfectam  
putre-

putredinem deueniente, rupta pellicula homines primos, ut ex materno utero, prodijisse, fingentes homines primos non aliter natos, quam prout minores cancri post paruas pluias à calore superueniente producantur; aut sicut ex corporis sudore ac calore pediculi & vermes nascuntur. Et ex hac forte opinione ortum stulta & imprudens Ægyptiorum idololatRIA habuit, sicut & aliorum quorundam, qui solem & lunam, hanc sub nomine Isis, illum sub nomine Olyridis, ut Deos adorabant, & tanquam communes parentes & satores humani generis colebant; & sic Deo vero titulum creatoris generis humani (ò infamiam!) detrahentes, cum creaturis ipsius, imò ministris, ut sic dicam, hominis contulerunt.

Qui autem paulò prudentius philosophati sunt, dixerunt,

Vide Plin.  
l. 2. c. 6.

*Homo hominem generat & sol*, id est, Postquam parentes operi coniugali fecundè incubuerunt, Sol quod ipsi inchoauerant, suo calore semen calefaciendo, eique quasi ouis incubando, perficit, quod in fumos & nihilum sua putrefactione abiret, nisi dulci Solis calore fortum fuisset: Et ob hanc causam quidam dixerunt vocem illam: *Ignis*, à gignendo, seu generando deriuari; & græcum, τὸ φῶς φωτός, quod aliquando Solis ortum, aliquando vitam significat: ex qua radice etiam Gallicum nostrum *Fœtus* ignis, deriuari possit.

Quæ pro  
vita in  
Axiacho.

4. Ad hanc vel illam complexionem influendum. Certè aspectus illi maiorum luminarium suis mirandis motibus mirabiliter, & maxima cum efficacia agunt in hæc corpora elementaria & inferiora, prout docti Astronomi & Medici sciunt ac demonstrant: Hæc enim sunt, quæ suo ordine, & quasi in circulum nobis adducunt Ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem, quorum singulis suis quodque alterationibus decoratur. Bone Deus, quomodo omnia ardent, & viciis propemodum flammis absumuntur, mox ac Canicula (sicut ob suam paruitatem & mordacem calorem ita dictum) capita nostra vna cum Solis radijs ferire cœperit?

Vide Pto-  
lomeum  
c. 8. l. 1. de  
Iudicio  
Astror.  
Plin li. 2.  
c. 39.

perit? quomodo tunc mare agitur? quomodo vina  
in promptuarijs commouentur? quomodo paludes  
& stagna præter solitum agitationi & motui subijciū-  
tur? quomodo durante hoc Canicula regno, quasi  
rabidi per plateas canes discurrunt? Forte quispiam  
dices tunc omnia sursum deorsum ferri, non aliter ac  
cum stultus ille Solis auriga Phaeton orbem totum  
gravi incendio afflixit:

*Sicca q̄ est campus arena*

*Quod modo Pontus erat.*

Sic Plinius lib. 2. cap. 39. *Canicula exortu accendi So-  
lis vapores, quis ignorat? cuius sideris effectus amplissimi in  
terra sentiuntur. Feruent maria exoriente eo, fluctuant in  
tellis vina, mouentur stagna, canes quidem toto eo spatio  
maximè in rabiem agi non est dubium.*

Vnde quæso tam diuersæ complexionis & diffe-  
rentes temperaturæ in diuersis nationibus? aut etiam  
in diuersis personis eiusdem nationis? Cur quidam ita  
louiales sunt, & hilares; alij ita Saturniani & humo-  
ris planè phantastici, ac siluestreis? Cur quidam ita  
Martiales, vt Scipiones bellando superent; alij verò  
ita Venerei, suisque desiderijs dediti, vt nihil Sarda-  
napalo concedant? Cur quidam hoc, alij aliud vi-  
uendi genus eligunt?

*Trahit sua quemq̄ voluptas.*

Dicam, aspectus astrorum has inclinationes cor-  
poribus nostris immittunt & influunt; & quamuis a-  
nima nostra rationalis sit, & libera, ob Sympathiam  
tamen quam habet cum corpore fideli suo compari,  
sepius ab inclinationibus corporeis se trahi sinit. Di-  
cit Manilius natos sub ortu Hyadum, quæ constella-  
tio pluuiosa est, amare custodiam pecorum im-  
mundorum, vt Prodigus noster porcorum, &

*Immundisq̄ greges agitent per sordida rura*

*Efficiunt; & non alium genere Bootem.*

*Hos generant Hyades mores.*

Sic etiam nationes Soli viciniore cæteris ingenio-  
siores & prudentiores reputantur: & sic Dido aiebat:

*Non*

*Ouid. l. 2.  
Met.*

*Manil. l. 6*

Virg. lib 1.  
Æneid.

Non obtusa aledò gestamur peñora Pœni,  
Nec tam auersus equos Tyria Sol iungit ab vrbe:

à Solè enim remotiores, vt plurimum, hebetiores sunt: ac eodem sensu docet Vegetius milites ex climatibus Soli vicinis oriùdos, ad inuenièda & perficièda belli stratagemata Septentrionalibus præstare; Septentrionales verò illis audaciores, manuque magis promptos, & sanguinis sui prodigos esse. Similiter Plutarchus refert in Oriente & vicinis partibus omnia aromata & odorifera suauius, quam alibi, spirare, eò quod Sol ibidem peccantes terræ humores mox, vt medici ex apostemate pus solent, educat & absumat. Meritò itaq; hæc luminaria & oculi animati, maximè autem Sol, à Poëtis *Anima, Spiritus, Pulchritudo, Vita & fortitudo mundi* appellatur.

Et quid de animatis quarundam bestiarum oculis dicam? Inuenio enim eis tantam energiam inesse, vt vix mihi persuadere possim, quod narraturus sum. Communis opinio est, etiam quorundam Medicorum, aspectum lupi ita periculosum esse, vt si quem primò intueatur, antequam ab illo conspectus sit, ipsum voce ac loquela priuet, quod ante mille sexcentos annos cecinit apud Virgilum quidam Corydon,

Virg.

*Vox quoq; Mœrim*

Eclog 9.

*Iam fugit ipsa lupi Mœrim videre priores.*

Plin. l. 8.  
o. 16.

Plinius disertè dicit, *Omnis vis leoni constat in oculis*, ita vt si oculi ei velentur, maxima eius ferocia euanescat; ad cuius rei fidem asstruendam facit, quod de quodam pastore Getulo narratur, qui cum inermis & absque socijs gregem suum fideliter pasceret, leonem aperto rictu in gregem inuolantem conspexit, ac mox exutum, quo induebatur, sagum, in caput leonis coniecit, eoque ei oculos obuelauit: mox stupefacta stetit bellua, & leonino furore multo tempore intermisso, Pastori, vt cum ouibus ad tutiora se reciperet, spatium dedit. Solent autem rerum naturalium periti dicta attribuere siccitati oculorum leonis, quam inde demonstrant, quod nihil æquè quàm claritatem ignis fugiat; nam vt inquit Plinius, *Hoc ralis*

Plin. supra.

ramq;  
vt exp  
haber  
sifici  
quod  
intue  
fici d  
nas  
mes  
reper  
Mari  
auicu  
quen  
mum  
sic  
fuisse  
quam  
suis  
Eo  
mun  
liora  
ribus  
gios  
exce  
omi  
vltim  
cans  
& pa  
tum  
ne, n  
cere  
in du  
lisre  
mata  
reliq  
te m  
vel e  
infer  
plan

tamq; *sauium animal terrent maximè ignes* : iam autem, vt experientia constat, qui calidos, siccosque oculos habent, plurimum ignem timent Sed ad oculos Basilisci serpentum Regis trāseamus; de quibus dicitur, quod ad eò terribiles & venenosi sint; vt omnes illos intuentes interimant, teste Plinio l. 8. c. 24. Inò Phisici dicunt, quod si speculum oculis Basilisci opponas, ipsum sola reuerberatione sui aspectus interimes. Eiusdem generis erat animal illud quod in Lybia repertum homines suo aspectu enecabat, vt tempore Marij contigisse legimus. Sed longè præstat oculus auiculæ illius, quam Galli *Rubiennæ* appellant, qui quendam oculorum morbum sanat, intiendo infirmum, & per oculos malum educendo, si credendum sit *Æliano* & *Suidæ*; & ob hanc causam aiunt moris fuisse hanc auiculā velo obductam vendere, ne priusquam venderetur, sanaret affectum. Sed omnis be-  
stij ad homines veniamus.

Equidem mirum in hoc Microcosmo, seu paruumundo animato, quod minora membra, admirabiliora, pulchriora, magis necessaria & efficacia maioribus sint: linguam prætereo, particulam illā spongiosā carnis, quæ cum in latitudine vix tres digitos excedat, hominum inter se cōuertantiū interpretis est: omitto cor, membrum quod omniū primum viuit, vltimum moritur, reliqua omnia mouens & viuificans, sedem cogitationum nostrarum, desideriorum & passionū, vnica delicias Dei, *Fili præbe mihi cor tuum*: Sed de oculi humani admirandis, pulchritudine, necessitate & effectibus quis *Aristoteles* dignè dicere poterit? Et quæ non miranda, & quasi miracula in duobus illis scintillantibus capitis nostri orbiculis reperiantur? Opportunè autem in summitate animatæ huius turris, tanquam speculatores & custodes reliquorum membrorum collocantur, vt imminente malo, reliqua præmoneant & periculo subducant; veleriam, vt moneamur relictis hisce terrenis & inferioribus, ad sublimia & cœlestia illa contemplanda mentem eleuare: Sunt etiam exploratores  
animæ,

Lact. de  
Opif. Dei  
2. l.

animæ, ad omnia cognoscenda quasi egredientes, & & quæ viderunt fideliter referentes: Sunt geminæ animæ fenestræ per quas ad animæ thronum rerum materialium species transmittuntur. *Mentem enim esse, quæ per oculos, ea quæ sunt opposita transpiciat, quasi per fenestras lucente vitro, aut speculari lapide obductas,* docet Lactantius: Sunt quasi duæ portæ, inquit Polemon, per quas se interdum, ut Reges solent, ostentat: *Mens & voluntas ex oculis sæpe dignoscitur,* inquit Lactantius ibidem. Sunt duo legati, interpretes, & nouarum rerum relatores primi, *oculus cordis nuntius.* Sunt gemini nuntij, etiam absque linguæ opera, satis clarè & manifestè affectum cordis, maximè amoris & odij exprimentis, ut docet Albertus Magnus: signa sunt euidencia Affabilitatis, Modestix, Mansuetudinis, Clementix, Fortitudinis, Quietis & tranquillitatis quarundam animarum. In alijs autem signa sunt Fastus, Arrogantiæ, Superbiæ, Stultitiæ, Ferocitatis, Astutiæ, Cholera, Inuidiæ, Odij, Iræ, Indignationis, Timoris Spei, Desperationis, Gaudij, Tristitiæ. Hi sunt duo exploratores, qui mediante inspectione vrinæ, & aliorum, Medicis occultas infirmorum dispositiones annunciant; nam ut aiunt Zamosiris & Abaris Philosophi, in his adeo totius corporis complexio apparet, ut si quis oculos curatos velit, necesse habeat prius totum corpus curare: Adeo etiam subinde facundi & eloquentes sunt, ut clarè & discretè enunciant, quod in secreto pectoris nobiscum volumus; sic enim amantes sibi mutuo multò plura unico momento per affectuosum intuitum loquuntur & insinuant; quàm si multo tempore verbis vna egissent: *Vngunt verba, sed lachryma, & oculorum ictus pungit.* Ad dulces Syrenum cantus quis obdormiscit; sed ad Gorgonis intuitum instar petra obrigescit. Sunt hi duo Magistri gemini veritatis parentes, qui nos in mundi huius vniuerso omnium ferè rerum differentias, ac plurimarum artium disciplinas edocent; ex quo haud malè dictum.



*Visus sensuum maxime disciplinalis, & ad doctrinarum inuentionem aptissimus.*

Sunt duces & lampades corpori humano summe necessariae, quae quocunque libuerit nos ducunt; *Visus doctor vita, via ductor.* ut olim columna ignis per noctem, & columna nubis per diem filios Israel ducere consueuerat. Sunt gemini Carbunculi, gemmaeque Crystallinae pretiosae, quae in suo meditullio, ut aureus annulus splendentem Adamantem, habent pupillas pulcherrimas, quibus Dei opera intuemur, & in quibus natura seipiam superasse videtur, imò & à suis principijs aberrasse, cum in paruis illis orbiculis maximi pagi, populosae ciuitates, longissima regionum spatia contineantur; cum vnico quasi momento, velut in speculo, imagines centum hominum, centum urbium imminuto illo circulo depingantur, cum illa polleant agilitate, & celeri motu huc illucque se vertendi, ut fulminis celeritatem penè adaequent; cum in suo domicilio instar Regum nullius imperio subsint, nullus eos ad videndum, quod nolunt, ad dormiendum aut vigilandum, cum non placet, suo imperio, ut ferè reliqua membra, possit. Sunt Paracliti & consolatores hominum, qui homini omne gaudium conferunt, quibus sublatis in maerore contabescunt; sic enim senior Tobias aiebat, *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen caeli non video.* Eandemque ob causam Tyranni quibusdam visum potius, quam vitam abstulerunt: hinc putant à Sole punitum Phinæum Bythiniae Regem, quod ratus esset minus malum oculis, quam vita priuari. Deniq; sunt interpretes per quos absque sono mandamus, comminamur, corda hominum obduratorum findimus, lachrymas ab ipsis elicimus, gratiam nobis, & aliorum amorem conciliamus, quamuis præter venustum intuitum nihil diuiciarum habeamus, vnde Musæus,

*Estq; oculus via prima, oculo tum deinde profectum, in Heron.  
Labitur ima sub vsq; viri precordia vlnus.  
& Propertius l. 2. Eleg. 15.*

*Musæus  
& Leon.  
dre.  
Si*

H

*Si nescis, oculi sunt in amore duces.*  
 & Iudith cap. 9. Holoferni imprecatur,  
*Capiatur laqueo oculorum suorum.*  
 & Sponsus in Canticis Canticorum,  
*Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.*  
*Quod oculus non videt, cor non desiderat.*  
*In oculis quasi hamo capiet eum.*  
 Perq; tuos oculos, magni mihi numinis instar,  
 Perq; tuos oculos, qui rapuere meos.

Cant. 4.

Iob. 40.

Ouid. 3.

Amor.

Virg. 3.

Georg.

— Vriq; videndo

Fœmina.

Nam, ut inquit Plato, vulnera Amoris sunt subtilissimi quidam radij à cordis intimis penetralibus emissi, ubi sanguis vitalis maximè dulcis & calidus residet, qui via regia oculorum amantis egredientes ad profundum cordis amati penetrant. Sunt duo aspectus splendens, quæ nos faciunt amabiles; sunt duo fulmina, quæ nos maiestate plenos & formidabiles efficiunt: Adeoque meritò apud Ægyptios oculus, Hieroglyphicum signum Dei erat, eò quod dignior hominis pars, & quæ sola tam puro sanguine nutritur, esset.

Augusto Imperatori inter cætera relucens oculi pulchritudinem, splendorem & maiestatem maximam contulerunt, quorum fulgorem miles quidam non ferens, & vultum auertens, rogatus respondit, se radios scintillantium oculorum eius non ferre, ut Eutropius & Aurelius Victor narrant, cui non aliud simile est quod de Magno Tamerlane refert Ioannes Bec in sua Historia.

Eutrop.

l. 7. de gest.

Rom.

Aurel.

Victor in

Aug.

Imò oculorum ea vis est, ex sententia quorundam, ut vim fascini habeant: quidam enim maligno & sinistro intuitu greges integros, & armenta subinde ita fascinant, ut infirmentur, langueant, & instar vaccarum Pharaonis marcescant, ac tandem moriantur, ut docent Plinius, Iulius Pomponius, & illud Virgilij:

Virgil.

Eclog. 3.

*Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.*

Aulus Gellius l. 9. Atticar. Noctium c. 4. ait, Id est.

iam in ijsdem libris scriptum offendimus (quod postea etiam in libro Plinij Secundi naturalis historie septimo legimus) esse quasdam in terra Africa familias hominum, voce atq; lingua effascinantium, qui si impensius forte laudauerint pulchras arbores, segetes, et iores, infantes amantiores, egregios equos, pecudes pastu atq; cultu opimas, emoriantur repente hac omnia, nulli\* alia causa obnoxia. Oculis quoq; \* Nota a-  
 exitialem fascinationem fieri, in ijsdem libris scriptum est; Liapro aliq;  
 traditurq; homines esse in Illyrijs, qui interimant videndo, quos diuinitus irati viderint, eosq; mares, foeminasq; , qui visu tam nocenti sunt, pupillas in singulis oculis binas habere.

Quidam Iuriconsulti, & inter alios Petrus de Tarentasia, defendunt infantes saepe flammeo intuitu, & maligno oculo incantari & fascinari: & S. Thomas de hac re agens docet; fieri potest, vt per imaginationem animae spiritus corpori coniunctos moueatur, quae mutatio ordinariè in oculis reuertitur, eò quod ad ipsos subtiliores & delicatiores spiritus confluant: Si enim spiritus hilaris est, etiam oculi hilarescunt; si tristis est, languent & hebescunt; si irascatur, intumescunt. Addit quidam Doctor, Si incantatio imaginatione fit, quae virtus spiritus est, etiam per oculos fieri poterit, qui eius ministri & affines sunt: Oculis enim emittunt radios quosdam, quia instar iaculorum cor eorum, quos incantare volunt feriunt, & humore venenato inficiunt; eodem modo arbores, fruges, & bestias emori cogunt. Quod ipsum, vt testes oculares, experti erant Mercatores, qui cum Ponti incolis negotiabantur: hi enim empra mancipia mox euehebant, eò quod fascinum venenati alicuius oculi, nulli parcens, mercibus suis timerent: Cauendum itaque ab illis, foeminis potissimum, quibus gemina in oculo pupilla est; horum enim aspectus, vt Cicero docet, venenosus & periculosus est. Ferrum etiam, speculum siue chalibæum, siue argenteum, siue cristallinum, quantumcunq; politum & nitidum sit, intuitu menstruatæ obscurari & fædari; & hinc ortum puto, quod aliqua obstetrices

parturientibus foeminis prolem non mox à partu, sed post aliquod demum tempus ostendant, eò quod habeant oculos à menstruo, & alijs sordibus infectos. Imò hoc genus fascini quidam etiam ad effectus spirituales extendunt; aiunt enim, si quæ speculum, quo antea meretrix uti consueuerat, intueatur, aut eius vestibus induatur, impudicam & effrontem fieri. posse enim foeminam suam audacem impudicitiam transfundere in aliam, sicut Adamas virtutem suam attritiuam in ferrum, quod tetigit: Additque quidam non indoctus, fascinum esse genus incantationis, quo homo ita constringitur, ut libertate & intellectu priuetur. Sed posse nocere & damna inferre quid ad eum comium oculi facit? Redeo itaque ad commodam, quæ ab oculo consequimur: commendat oculos, quod per ipsos æquè ac per os medicinam, tam corporis quam animæ attrahere possimus. Dicunt enim Medico regio laborantes intuitu cuiusdam auiculae, quæ Galgulus Latinis, Aristoteli Corios, Gallis Lonos, dicitur, sanari, ipsa auicula moriente: Serpentem aræe intueri præsens remedium erat mortis à serpentibus ignitis in deserto. Quale putatis solatium animæ aucti illius Iacob recepit, cum vidit filium suum Iosephum in Ægypto viuentem & regnantem? Qualem gaudium lentij senex ille Simeon videns & amplexans paruulum mundi Saluatorem? puto quod præ animarum tripudio, ipsorum corpora ex parte reiuueneſcere coeperint. Sine dubio anima incredula Thomæ sanata fuit, cum humanitatem Iesu. Christi resuscitatam vidit: Sine dubio amantes crudellis sui tormenti solatium experiuntur, dum mutui amorem obiectum, vel in tabula depictum, intuentur: Sine dubio grati colores, qualis inter cæteros viridis est simul & oculus, & spiritum recreant: Aspectus pulchrorum hominum, festiuorum spectaculorum, horum bene ordinatorum, picturarum Appellea manu elaboratarum, vsque ad animam magnam & efficacem medicinam sæpè transfundit:

*Ille sanantur vulnere cordis ope.*

*Aristot.  
lib. 9.  
Hiflor.  
Anim.*

Se  
de fili  
I  
Mi  
rem fa  
seruan  
caſi  
chru  
lios fe  
malè  
leat  
plus  
nec fo  
mus i  
aufere  
repe  
sed po  
rum a  
cinus  
Tertu  
Lucia  
ginita  
rimè  
amate  
quam  
dictur  
Si  
nim t  
oculos  
& cer  
tum, t  
Dei  
re. Oc  
ſibi m  
denti  
Ex  
da ſa

Sed interdum etiam dolores causant: nam merito de filiabus Darij dicebat Magnus Alexander:

*Dolores oculorum sunt Persica puella.*

*Plutar.  
in Alex&  
dro.*

Mirandi itaque & non imitandi sunt, qui ut maiorem sanctitatem acquirerent, aut acquisitam conseruarent; ut Deo perfectius seruirent, aut ne alijs occasio ruinae essent sibi oculos, donum Dei tam pulchrum, utile & necessarium, eruerunt: quod inter alios fecisse legitur Leontius Episcopus Laodicensis, malè intelligens dictum Christi: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Idem fecit Democritus Philosophus Abdera; non, ut putat Laberius Poeta,

*Matt. 18.*

*Laberius  
in Mima.*

*Malis bene esse, ne videret ciuibus.*

nee fortè etiam propterea, ut cogitationes tantò firmius in contemplatione rerum naturalium figeret, auferens ea, quæ ipsum ab hac contemplatione auertere possent, ut post Lucretium vult Aulus Gellius: sed potius, quia feminas absque concupiscentia illarum aspicere non poterat, quod Christiana phrasi dicimus, quia oculi ipsum scandalizabant, ut sentit Tertullianus. Annon admirandum & heroicum S. Luciae factum? quæ cum intellexisset Tyrannum virginitati suæ insidias struere, ob suam singularem, maternè oculorum, formositatem, eos erui curauit, & amatori suo dono misit, malens cæca cælum intrare, quam apertis oculis in infernum prolabi; simpliciter dictum Christi interpretata:

*Aul Gell.  
lius l. 10.  
Nocturnm  
cap. 17.*

*Si oculus scandalizate te, erue eum. & projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.*

*Matt. 18.*

& certè perfecti erga Deum amoris signum est, seipsum, tam necessarijs membris potius priuare, quam Deum offendere, aut ut ab alio offendatur permittere. *Oculos vestros ernissitis*, dicit Apostolus quibusdam sibi maximè amicis, quasi hoc maximæ amicitiae euidentiissimum signum sit.

*ad Galat.  
4.*

Ex aduerso autem barbara, crudelis, & abominanda saeuitia est inimicis captis oculos eruere, quod

quondam Philistæi Samsoni, Sedecia Regi Babylo-  
nij; Imperator Iustinianus Belizario ex leui suspicio-  
ne post deuictos ab ipso Persas & Vandalos ac Bar-  
baros Italia pullos, fecerunt: Sic Basilius quidam  
quindecim millia Bulgarorum, quos deuicerat, in  
patriam excecatos remisit, dato per singulas cen-  
turias vno duce Cochite seu monoculo: Sic Turca  
sapius in Principes viros deuictos seruire solent  
Meo itaque iudicio inter cætera beneficia corpora-  
lia, hoc non infimum est, quod cæci nati non sa-  
mus, aut diuino miraculo visum deperditum, rece-  
perimus: Illi etiam in Republ. Medici maximis ho-  
noribus affiendi sunt, qui singulari dexteritate  
arteque oculos à quibusdam pelliculis ipsos offe-  
santibus liberant: aut tam dextrè collyria prapa-  
rant & Chelidonium temperant, vt iamiam perit-  
rum visum præseruent, cum his aut præseruatis, aut  
sanitati restitutis, oculorum priuatio maius mul-  
tò malum fuerit, aut fuisset, quam cæcis natis, eò  
quod hi nunquam experti sint, quantum bonum sit  
clare videre. Atque hæc de visu & oculis sint facta,  
& ad diuinum intuitum transeamus, occasione o-  
cius, quod dicitur, *Vidit illum Pater ipsius.*

## II.

*Oculi Dei, eiusque intuitus haud vani sunt.*

**S** igitur magnus ille mundi oculus Sol, si ani-  
malium irrationabilium oculi in corpora & ani-  
mas tantas vires habeant, quis est qui dicere non  
audeat, oculos & aspectum magni illius & immor-  
talis Dei infiniti maiorem efficaciam in corpora &  
animas nostras habere? & si aspectus luminarium  
cælestiū corporibus sublunariis necessarius est ad  
illuminandum, ad calefaciendum, ad honorandum,  
ad has vel illas complexiones influendum, & quidam  
benignus Dei intuitus necessarius erit animabus,  
vt in illis similes effectus spirituales producat. Si  
magnus